



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De accusatoribus, & testibus episcoporum. clxxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

clericis, quàm laicis concessum est, quantò magis de Episcopis seruari còuenit? Nam si ipse metropolitanum, aut iudices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud primatem dioceseos, aut apud Romanæ sedis pontificè iudicetur.

De accusatoribus & testibus Episcoporum.

Cap. CLXXI.

OMNES ergo qui in recta fide suspecti sunt, in accusationem sacerdotum, & eorum super quorum fide non hæsitatur, minimè recipiãtur, & in testimonio dubij habeantur. Infirmari ergo oportet eorum vocem, de quorum fide dubitatur: nec eis omnino est credendum, qui rectam fidem ignorant. Quærendum ergo est in iudicio, cuius sit conuersationis ac fidei is qui accusat, & is qui accusatur, quoniam hi qui non sunt rectæ conuersationis ac fidei, & quorum vita est accusabilis, non permittendi sunt eos accusare: & quorum fides, vita, & libertas nescitur, & viles personæ in eorum non recipiantur accusatione. Rimanæ verò sunt accusatorum enucleatim personæ, quæ sine scripto difficilè, per scriptum autem nunquam recipiantur: quia per scripturam nullus accusari potest: sed propria voce & præsentate eo, què accusare voluerit, suam quisque agat accusationem, nec, absente eo què accusare voluerit, quisquã accusator credatur. Similiter testes per quacunque scripturam testimonium nõ dicant, nec de aliis causis vel negociis testimonium dicant, nisi de his, quæ sub præsentate eorũ acta esse noscuntur. Accusatoris verò con sanguinei aduersus eos testimonium, nec dicant, nec eorum familiares, vel de domibus eorum prodeuntes: sed si voluerint, & in inuicem consenserint, inter se parentes testificentur, & non in alios: nec accusatores vel testes suspecti recipiantur: quia propinquitatis & familiaritatis ac dominationis affectio veritatem impedire solet.

De eadem re.

Cap. CLXXII.

Accusatores autem episcoporum & testes, super quibus rogastis, absque vlla infamia, aut suspitione, vel manifesta macula & vera fide pleniter instructi esse debent: & tales quales ad sacerdotium eligere diuina iubet authoritas. Quoniam sacerdotes, vt antiquorũ tradit au-

*Ex decretis
Calisti. papa
papa episcopo
papa Gal
liam con-
stituitis,
cap. 17.*

*Ex decretis
Damasi
papa Ste
phano &
vniuersis*

E